

activam et passivam habere, præterquam in iis, quæ respiciunt interesse et jura particularia veterum canonicorum (1).

II. Si præbendæ sint distinctæ, obtinentes præbendas presbyterales, licet noviter erectas, præcedentiam habere debent supra obtinentes præbendas diaconales et subdiaconales, licet antea erectas (2). Idem igitur etiam dicendum erit de habentibus præbendam diaconalem respectu habentium subdiaconalem.

Si præbendæ distinctæ non sint, vel in eodem ordine si distinctæ fuerint, novi canonici præcedunt et locum occupant juxta receptionem, sicut antiqui, nisi aliud in eorum admissione expresse cautum fuerit juxta decretum S. R. C. 9 Aug. 1642 *Lunen*, quo decernitur, canonico, de quo agebatur, juxta conditionem in canonicatus erectione et confirmatione appositam, semper et perpetuo ultimum deberi locum.

§ 12. *De relatione et respectu canonicorum et dignitatum inter seipsos.*

Dignitates qua tales præcedentia gaudent, honore canonicos omnes præcedunt, fruuntur privilegiis celebrandi in certis festi-
tatibus, Episcopo assistendi, etc. ut propriis locis dicitur; quatenus autem sunt canonici, sunt sicut omnes alii.

Inter canonicos, si præbendæ distinctæ sint, intercedit ordo dignitatis, quatenus presbyteri dignitate præcedunt diaconos et subdiaconos, et diaconi similiter subdiaconos.

Si autem præbendæ distinctæ non sint, aut licet distinctæ fuerint, illi tamen qui in eodem ordine existunt, præcedunt juxta prioritatem seu receptionem ad canonicatum; hac autem præcedentia excepta, iste ordo prioritatis seu receptionis nullam majorem dignitatem, præminentiam aut facultatem importat; omnes sunt æquales, seniores et juniores, omnes eandem habent facultatem, omnium vota sunt æqualia; senior prius loqui potest, vox tamen junioris ejusdem est valoris. Excipiendus tamen est casus, quo in novorum canonicatum erectione contrariæ conditiones appositæ et admissæ fuerunt, ut § præcedente dictum est.

(1) Vid. Pallottini *Canonici* § IV, n. 84 et seqq.; Zamboni tom. 1, *Canonici*, § V et tom. 4, *Canonici*, § VI; Angelus Lucidi de Visit. ss. Limum vol. 3, fol. 199-209; Acta s. Sedis vol. 7, fol. 691 et seq.; Scarfantonius lib. 1, tit. 14; animadvers. 51 et seq.

(2) S. R. C. 12 Junii 1638 *Casertana*.

§ 13. *De dignitate canonicorum ecclesiæ cathedralis.*

Canonicorum titulus valde honorabilis in ecclesia Dei (1); et magnus est honor, esse canonicum in ecclesia cathedrali; hujus canonici aliis præeminent clericis, sunt membra nobiliora cleri, cæteris clericis sunt digniores, primum tenent locum post Episcopum inter clericos diocesis (2).

Canonici cathedralis in dignitate ecclesiastica constituti non sunt, nisi late sumpto vocabulo, sed dicuntur clerici primi ordinis (3). In adeo sublimen autem locum evecti sunt, ut in oppositione ad reliquos clericos dignitatem quamdam habere videantur (4). Proprie tamen et stricte loquendo canonicatus ecclesiæ cathedralis non est dignitas ecclesiastica, quia illi ex ecclesiastica canonicatus institutione nulla jurisdictio annexa est, nec ex natura sua habet prærogativam illam, ut unus canonicus alios antecedit (5).

Præter jura et privilegia capitulo cathedrali propria duplex istius observationis est effectus, videlicet 1° quod Pontifex soleat canonicos in judices delegatos causarum ecclesiasticarum deputare, quum alioquin has vices tantum his, qui in dignitate constituti sunt, concedere soleat; 2° quod capitulum collegialiter congregatum prælatis præcedat. Singuli autem iis cedunt, qui dignitate ecclesiastica stricte dicta instructi sunt (6).

§ 14. *De habitu canonicali et choralis.*

I. Canonici officiis divinis in habitu choralis assistere tenentur. Nefas est, sine proprii ordinis insignibus choro interesse, vel sacris ibidem officiis operari (7). Choro sine habitu choralis interesse, sive ratione frigoris, sive aliis de causis, est abusus eliminandus et non tolerandus (8).

(1) Molanus de canonicis lib. 1, cap. 1.

(2) Barbosa de canonicis cap. XVIII, n. 44 et seqq.

(3) Lucius Ferraris canonicatus art. XI, n. 3.

(4) Lucius Ferr. beneficium art. 1, n. 54.

(5) Barbosa de canonicis cap. 19, n. 1 et seq.

(6) Lucius Ferraris beneficium art. 1, n. 55.

(7) Pallottini, *Canonici*, § VII, n. 1-5.

(8) S. R. C. 2 Maji 1871, *Salten*. 1.

II. Habitus choralis seu canonicalis de jure communi præter vestem talarem nigram est cotta seu superpelliceum, quo clericus in susceptione tonsuræ ab Episcopo induitur. Vestis talaris esse non potest cum cauda adinstar Prælatorum Romanæ curiæ (1).

Habitus debet esse communis, et uniformis cum aliis capitularibus ejusdem ordinis, quibuscumque aliis qualitatibus et dignitatibus sæcularibus minime attentis (2).

Alius habitus præter vestem talarem nigram et superpelliceum, ac alius color et quæcumque insignia Sedi Apostolicæ reservantur: ita ut canonici quicumque sint, nec alium habitum aut colorem, nec quæcumque insignia assumere, nec Episcopi eisdem concedere possint sine expressa et speciali Sedi Apostolicæ licentia et consensu; et si alium habitum, colorem aut insignia sine indulto Apostolico canonici assumpserint, vel Episcopi concesserint, omnia in pristinum statum sint reducenda, vel privilegium Apostolicum sit impetrandum (3).

Hoc intelligendum est non tantum de insignibus majoribus et singularibus, sed etiam de minoribus. Unde Sacra Rituum Congregatio juxta alia decreta rescribendum censuit: « Insignia cujus-
» cumque generis presbyteris concedere non solum collegialiter,
» sed etiam singulatim sumptis, privato jure reservari Apostolicæ
» Sedi; et, si eadem insignia fuerint cuicumque a Reverendissimis
» Ordinariis collata, debent statim deponi » (4).

Etiam si igitur cæremoniale Episcoporum lib. 1, cap. 3, n. 3 de cappa et rocchetto, ut de habitu choralis et canonicali agat, inde tamen deduci nequit, eum esse proprium canonicorum habitum et communiter permissum; sed inde sequitur tantummodo, quis, supposito indulto Apostolico, sit modus, iisdem utendi in illis solis ecclesiis, in quibus illis uti licet. Quapropter in decreto Urbani VIII, quod initio missalis apponitur « prohibetur usus
» rocchetti, exceptis tamen quibus de jure competit, et præter hoc
» statuitur et declaratur, nemini licere inservire, aut assistere in
» celebratione missarum aut divinarum officiorum cum rocchetto,

(1) S. R. C. 17 Junii et 2 Dec. 1673, *Ravennaten*.

(2) S. R. C. 23 Mart. 1641, *Hispaten*.

(3) S. R. C. 1 Sept. 1612, *Hydruntina*; 26 Feb. 1628, *Januen*; 12 Jul. 1628, *Caputaquen*; 7 Dec. 1630, *Cortonen*; 4 Mart. 1673, *Avenionem*; 21 Mart. 1676, *Nicien*; 12 Sept. 1705, *Contimbricen*; 28 Ap. 1731, *Trivicana*; 8 Maji 1840, *Neocastren*; 29 Feb. 1868, *Gallipolitana*, dub. II; 20 Aug. 1870, *Denicaragua*.

(4) 6 Maji 1872, *Asculana et Cerinoli*; 4 Sept. 1875, *Jacen*.

« neque cum cotta habente manicas angustas adinstar rocchetti. » Rocchettum est vestis dignitatis, quam ipsimet Episcopi electi, præsentibus in curia, e Sanctitatis Suæ manibus accipiunt (1). Et circa cappas S. R. Congregatio respondit, quod « nec canonici, nec alii cappas deferre possint sine expressa et speciali licentia Sedi Apostolicæ » (2).

III. Si autem canonicus sit Episcopus, in choro uti potest et debet habitu ordinario, quo utuntur Episcopi in curia Romana, id est rocchetto supra subtanam et mantelletto violacei coloris (3).

IV. Aliud tamen dicendum est de Protonotariis. Licet enim S. R. C. ex privilegio quandoque indulserit, ut prima dignitas in habitu Protonotarii choro interesse, et distributiones lucrari valeret (4); et sæpius etiam primæ dignitati, non intendenti lucrari distributiones, cum habitu Protonotarii choro interesse concesserit (5): hoc tamen negavit alii canonico et etiam secundæ dignitati, licet intendenti non lucrari distributiones (6). Quinimo declaravit Protonotarium non lucrari fructus neque distributiones, nisi in habitu canonicali: ita ut si fructus suos facere velit, suo loco et habitu canonicali suffultus maneat; et si nihilominus habitu prælatitio indutus, divinis adesse velit, omnium ultimus sedeat (7). Sic in Constitutione Pii VII Idibus Decemb. 1818 mandatur ut « Proto-
» notarii titulares, qui dignitate aut canonicatu potiuntur, habitum
» gestent sui ordinis, non vero prælatitium in choro, eoque con-
» sideant in loco, quem ex beneficio eos deceat: quod si habitu
» prælatitio uti velint, distributionibus quotidianis priventur » (8). Attamen Protonotarii cum subtana violacea choro assistere possunt, dummodo in cæteris omnibus habitum canonicalem deferant, et in loco suæ receptionis sedeant (9); hoc tamen intelligendum

(1) Cærem. Ep. lib. 1, c. 1, n. 2.

(2) 10 Jan. 1604, 3 *Etven*.

(3) S. R. C. 24 Nov. 1703, *Hispaten*.

(4) 6 Aug. 1650, *Assisien*; 6 Ap. 1658, *Tudertina*; 31 Aug. 1793, *Spolitana*.

(5) 26 Mart. 1672, *Camerinen*, *Eugubina* et *Narnien*; 23 Feb. 1704, *Caven*; 22 Aug. 1722, *Burgi S. Sepulchri*.

(6) 31 Mart. 1629, *Burgi S. Sep.*; 13 Sept. 1642, *Salernitana* apud *Analecta juris Pontif.* ser. 7. 1864, fol. 290, n. 1331; 23 Feb. 1704, *Caven*.

(7) 12 Jul. 1645, *Audomaren*; 28 Feb. 1660, *Isernten*; 3 Ap. 1677, *Montuana*, etc.

(8) Apud Gardellini n. 4395-4545, 4.

(9) S. R. C. 14 Jan. 1612, *Panormitana*; 11 Dec. 1627, *Burgi S. Donnini*; 12 Jan. 1636, *Justinopolitana*.

est de illis, qui jure aut privilegio subtana violacea utendi gaudent, nam juxta constitutionem Pii VII, 1818 supra cit. n. 1 et 2 « jus erit Protonotariis Apostolicis titularibus extra Urbem... uti » habitu Prælatitio, videlicet veste talari et palliolo nuncupato » mantelletto nigri coloris. Eo habitu Prælatitio nigri coloris cum » rocchetto subtus palliolum uti poterunt Protonotarii in publicis » supplicationibus aliisque ecclesiæ functionibus. » Alia autem quæcumque privilegia, jura et prærogativæ in hac Constitutione non descriptæ, irritæ declarantur et abrogantur (1).

Idem dicendum est de Prælato domestico, qui licet in choro primum occupare possit locum (2), distributiones tamen amittit, si cum habitu prælatitio assistat (3).

V. Pluribus canonicorum capitulis specialia privilegia et insignia per Sedem Apostolicam concessa sunt vel in ipsa capituli erectione vel per particulare indultum postea obtentum. Decet quam maxime, ut celebriores ecclesiæ cathedrales et præcipue metropolitice honoribus et privilegiis cumulentur, ac extrinseco etiam apparatu ab aliis distinguantur. Plurimum hæc conferunt ad conciliandum ecclesiæ venerationem et sacris functionibus decus et ornamentum (4). Sic plura capitula rocchetti, mozzettæ, cappæ aliorumve insignium, et etiam pontificalium usu fruuntur.

« Quodcumque (autem) privilegium ad augendum insignium » quarumdam ecclesiarum splendorem ab Apostolica Sede dignitatibus, canonicis, rectoribus, aut alio quocumque nomine » nuncupatis concessum, utpote læsivum dignitati Episcopali, de » jure strictissime est interpretandum. Quamobrem nihil aliud » concessum intelligendum est, nisi illud, quod est speciatim expressum, neque ex indulto uno alterove privilegio trahi potest » consequentia ad alia, quæ singulatim descripta non fuerint » (5). Quapropter: 1° in his privilegiis servanda est forma præcisa et color præcisus, prout in indulto Apostolico exprimitur (6). 2° Hæc privilegia ad beneficiatos, capellanos aliosque quoscumque in indulto non nominatos extendi nequeunt sine expressa Sedis

(1) Vid. *Rev. des sciences ecclésiastiques*, tom. 16, fol. 346.

(2) S. R. C. 3 Jul. 1745, *Aretina*.

(3) S. R. C. 3 Aug. 1839, *Maceraten*.

(4) Ita Gardellini in dec. 20 Ap. 1822, *Baren*. 1.

(5) Decretum 27 Aug. 1822, ad 5.

(6) S. R. C. 23 Aug. 1704, *Catanien*. 4 et 5; 23 Sept. 1837, *Casalen*.

Apostolicæ licentia (1). 3° Si ipsa ad beneficiatos, capellanos aut alios extendantur, hi tamen illis insignibus uti non possunt nisi præsentem seu intervenientem capitulum; indecens enim est, quod ipsi, qui cum capitulo dumtaxat unum corpus faciunt, ab eodem corpore disjuncti, iis etiam utantur insignibus, quæ non membris, sed toti corpori conveniunt (2). 4° Si insignia ad beneficiatos aliosque extendantur, horum tamen qualitas per extrinseca honoris signa non immutatur, neque ipsi idcirco liberantur ab oneribus quibus antea tenebantur (3).

VI. Circa insignia specialia in particulari notanda sunt sequentia: Rocchettum nunquam discoopertum deferendum est, hoc enim proprium est soli Episcopo loci ordinario; et si cappa vel mozzetta deponenda sit, tunc vel rocchettum etiam deponendum est, et superpelliceum assumendum, vel superpelliceum rocchetto superimponendum est (4).

Cappa vel mozzetta est habitus choralis, adeoque adhibetur in choro, processionibus aliisque omnibus, in quibus habitus choralis induitur. Hoc intelligendum est de omnibus functionibus, ad quas superpelliceum juxta rituale Romanum aliasve rubricas non requiritur. Unde canonici qui in propria ecclesia funguntur officio sacerdotis assistentis in missa neopresbyteri, concionantur, sacram Scripturam explicant, catechesibus exercitiisque spiritualibus incumbunt, aliasve functiones obeunt, excepta sacramentorum administratione, cappam vel mozzettam deponere non tenentur (5): et si functio aliqua stolam exigat, hanc super cappam vel mozzettam imponunt. Sic canonici sacerdotes, ordinationi in habitu canonicali assistentes, manus imposituri super ordinandos ad presbyteratum, neque cappam aut mozzettam deponere, neque superpelliceum induere debent ad stolam accipiendam, sed stolam super cappam aut mozzettam imponunt juxta praxim Archibasilicæ Lateranensis (6); item communicantes in cœna Domini, qui cum cappis missæ assistunt, stolam super easdem imponunt (7).

(1) S. R. C. 5 Jul. 1631, *Turritana*, 7.

(2) S. R. C. 20 Jul. 1765, *Montis Politani*.

(3) S. R. C. 10 Ap. 1823 *Melphiten*, 5.

(4) S. R. C. 7 Ap. 1832, *Maceraten*; 23 Maji 1846, *Viterbien*; 31 Aug. 1867, *Ambianen*, IV.

(5) S. R. C. 4 Jun. 1817, *aubiorum* 2 addit.

(6) S. R. C. 12 Sept. 1857, *Molinen*. 27.

(7) Memoriale rit. Bened. XIII de cœna D. c. 2, § VI, n. 9, ad 7. Notandum

Quandocumque autem superpelliceum assumendum est, ut in sacramentorum administratione aliisque ut infra dicetur, cappa vel mozzetta est deponenda (1).

Cappa tempore hyemali adhibetur, æstivo autem deponitur, et ejus loco cotta supra rocchetum induitur, ut in cæremoniali libro 1, cap. 3, n. 3, præscribitur. In aliquibus tamen ecclesiis æstivo etiam tempore cappæ pellibus depositis, retinentur, et loco pellium sericum operimentum ejusdem coloris ab anteriori parte apponitur (2). Cappæ canonicales ab episcopali differunt, quod Episcopi in diocesi sua utantur cappa ampla et soluta; canonicalium vero capparum toga, caputio simili omnino ac pro Episcopo remanente, explicari nequeat, sed complicata et involuta feratur (3), tam in adoratione crucis feria sexta parasceves quam alio tempore (4). Ubi tamem mos viget, cappæ in adoratione crucis solvi et relaxari possunt usque ad talos (5), non adhibitis autem clericis, qui earumdem extremitates elevent (6).

Cruces vel numismata, ab Apostolica Sede concessa, palam deferri nequeunt in paramentis sacris neque in administratione sacramentorum, sed supra habitum choralem, seu supra rocchetum, mozzettam aut cappam (7).

Annuli delatio in missa omnibus sacerdotibus sine speciali indulto vetita est, etiamsi sint protonotarii titulares, dignitates et canonici ecclesiæ cathedralis (8). Item licet sacerdotibus sæcularibus doctoris gradu insignitis annuli usus permittatur, non tamen in functionibus ecclesiasticis (9).

VII. Qui privilegio rocchetti, mozzettæ, cappæ aliorumve insignium

est non ob stare S. R. C. decreta 22 Sept. 1837, IX, et 11 Ap. 1840, *Mutinen*, quia in his proprie non agitur nec petitur, ut stola super mozzettam imponatur, sed ut stola in processionibus super habitum choralem deferatur; præterea quod in his præfatis negatur, in posteriori rescripto 12 Sept. 1846 conceditur.

(1) S. R. C. 2 Aug. 1698, *Syracusana* et 23 Maji 1846, *Viterbien*.

(2) S. R. C. 12 Ap. 1823, *decretum*.

(3) Catalanus in *Cærem Ep.* lib. 1, cap. 3, § 3, n. 2, edit. Parisien.

(4) S. R. C. 23 Jan. 1700, *Æsina*, 3.

(5) S. R. C. 4 Sept. 1745, *Sancti Severi* et 11 Mart. 1837, *Calatayeronen*.

(6) S. R. C. 10 Sept. 1701, *Cortonen*, 4.

(7) S. R. C. 17 Sept. 1822 *dubiorum* 15; 22 Mart. 1862, *Rupellen*.

(8) S. R. C. 20 Nov. 1628, *dubium* etc., 22 Jun. 1630, *Boianen*; 4 Aug. 1663, *Dalmatiarum* 11; 13 Sept. 1670, *Beneventana* 2; 11 Ap. 1840, *Hydruntin*; 12 Sept. 1857, *Alben*.

(9) S. R. C. 23 Maji 1846, *Bahien*, 6.

fruuntur, his tamen in sacramentorum administratione uti nequeunt, sed sive intra sive extra propriam ecclesiam eadem deponere, et superpelliceum ac stolam assumere tenentur (1). Superpelliceum tamen seu cotta rocchetto superimponi potest (2). Sacramentum pœnitentiæ seu confessionum auditio a regula generali non excipitur, sed decreta infra citata de eodem sicut de aliis sacramentis disponunt; cum tamen confessarius juxta rituale Romanum superpelliceo et stola tantum uti debeat, *prout tempus et locorum feret consuetudo*; si ea existat consuetudo, ut canonici in habitu choralis confessiones excipiant, et stolam etiam superimponant, eadem retineri potest (3).

Idem dicendum est de benedictionibus aliisque functionibus, in quibus sacerdos ex rubricæ præscripto superpelliceum et stolam assumere debet (4).

VIII. Sacramentorum administratione aliisque præfatis functionibus exceptis, illi qui habitus specialis usum habent, aut aliis insignibus honorificis decorantur, in choro, processionibus aliisque omnibus functionibus, in quibus habitum choralem induunt, illum vel illa adhibere possunt in ecclesia propria, sive capitulariter sive uti singuli assistant, incedant aut sacras peragant functiones. Unde ut supra dictum est, canonici qui in ecclesia propria officio sacerdotis assistentis in missa neopresbyteri funguntur, concionantur, similesque functiones exercent, cappa, mozzetta aliisque insignibus canonicalibus uti possunt (5).

Hoc tamen speciali habitu aliisque insignibus in propria dumtaxat ecclesia uti possunt, et non extra eam (6); et proinde non tantum neque extra diocesim (7), sed neque in locis diœcesis, in

(1) S. R. C. 12 Jul. 1628, *dubiorum Urbis*, 1; 19 Jun. 1773, *Urbis*; 4 Jun. 1817, *dubiorum addit.* 1 et 2; 16 Ap. 1831, *Æsina*; 12 Nov. 1831, *Marsorum* 26; 27 Nov. 1831, *Pisana* 22; 7 Ap. 1832, *Maceraten*; 23 Maji 1846, *Viterbien*, 3; 10 Jan. 1852, *Cenomanem*, 5; 31 Aug. 1867, *Ambianen*, IV.

(2) Dec. cit. 31 Aug. 1867.

(3) S. C. C. 2 Jun. 1860, *Ripana* apud *Rev. Theol.* 1861, fol. 196; Gardell. in dec. 4 Jun. 1817, *dubiorum addit.* 2.

(4) S. R. C. 17 Sept. 1822, *Ravennaten*; 16 Ap. 1831, *Æsina*; 31 Aug. 1867, *Ambianen*, IV, 4.

(5) S. R. C. 31 Maji 1817, *dubiorum* 2 *addit.*; 12 Nov. 1831, *Marsorum* 26; 7 Ap. 1832, *Maceraten*; 23 Maji 1846, *Viterbien*.

(6) S. R. C. 31 Maji 1817, dec. gen. et 9 Maji 1857, *Ebroicen*.

(7) S. R. C. 12 Mart. 1678, *Panormitana*.